

Hermann Lembke

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis, Hermannus Lembke/ I.U.D.  
& Codicis Profess. ... Viri-luvenis Dn. Ernesti Cothmanni, Iuris Candidati eximii,  
Viri ... Dn. Johannis Cothmanni ... Filii desideratissimi, In Academia Giessena 4.  
Febr. denati ... Funus Honoris & sympatheias gratia LMq[ue] prosequitur**

[Rostock]: Kilius, 1658

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777435179>

Druck Freier  Zugang



Lembke, H.,  
in E. Cothmann.

R.1658.

48.







PROGRAMMA  
Quo  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,  
HERMANNUS LEOBRE

J. U. D. & Codicis Profesf.  
Suo & Univerfi Senatus Academici nomine,  
Præclari & Eruditiſſimi VIRI-JUVENIS

DN. ERNESTI  
COTHMANNI,

Juris Candidati eximii,  
VIRI

*Magnifici, Nobiliſſimi, & Ampliſſimi*

DN. JOHANNIS COTHMANNI,  
JCTI celeberrimi, Sacri Lateranenſis Palatii, Au-  
læq; Cæſareæ, & Imperialis Conſiſtorii COMITIS;  
Sereniſſimorum MECKLENBURGI Ducum  
CANCELLARII eminentiſſimi,  
Filiſi deſideratiſſimi,

In Academia GIESSENÂ 4. Febr. denati,  
eodemque 22. hujus Martii menſis die  
ſolemniffimè componendi,

Funus  
honoris & ſymplicis gratiâ  
L. Mq; proſequitur.

⦿:(o):⦿

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ. 1658.

48

48

PROGRAMMA

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCKENSIS

HERMANNUS BECKER

J. U. D. & Codices Rostock.

Summa & brevis tractatus de

Rebus & personis

DR. ERNESTI

COTTMANNI.

Junius

VITAE

Historia

DR. JOHANNIS COTTMANNI

Historia

Historia

Historia

Historia

Historia

In Academia Rostockensi

Historia

Historia

Historia

Historia

Historia

Historia

Historia



R gravem & benè longam  
Orationem apud Sapientem  
Tragicum ad Cives suos habet  
ipse REX; quâ in cæteris cum  
admiratur admodum, cum et-  
iam queritur, ita comparatum cum Urbe  
Cadmæ esse, ut mox in eâ audire sit pæanas,  
magna lætitiæ argumenta; mox vicissim ge-  
mitus, certos calamitatis indices. Enimverò  
ita eum inter cætera loquentem inducit So-  
phocles: πόλις δὲ νῦν μὲν θυμιαμάτων γέμει; νῦν δὲ πικρῶν  
ἔων τε καὶ γενεῶν γμάτων. Nec videri verò debet,  
non nisi *Theobarium* eum, qui tunc erat, sta-  
tum depinxisse, sed respexisse quoque ad  
conditionem generis mortalium, qualis ea  
& omni in loco sit, & omni omnino tem-  
pore. Nunquam enim non ita vivitur,  
ut, cum aliquando fortè sit, quod gaude-  
as, cum è vestigio, & ante, quàm opineris, sub-  
sequatur, quod dolendi suppeditet, tristan-

11. nom

A 2

di que



diſque materiam. Scilicet ut mare inquietum eſt ſemper, & ſtare nequit, ſic perpetuo fluxu ac refluxu feruntur hominum res, atq; hoc ſolum in iis certum eſt, quòd nihil inſit certi. Permutantur lætis triſtia; & ſi quid optatius quandoq; contigit, mox illud exerit dolor aliquis & calus, qui pro jucūditate, quā delectati antè fuimus, merā nobis amaritudinem propinat. Varia ſemper hujusmodi viciffitudinum capere documenta licet; Et in præſenti præcipuè occurrit, quod miram faciat fidem. **Ævi enim & Familiæ decus, ERNESTUS COTHMANNUS,** Juvenis elegantiffimus, quūm vivus valensque foret, quūm ad ſumma quæq; curſu contenderet, ſtrenuūq; ad virtutem graſſaretur viā; quā in incredibilem animi lætitiā voluptatemq; eā ex re percepiffe credimus **PARENTEM OPTIMUM!** Nunc cum tantas ille ſibi ſpes & delicias ademptas, **FILIUM**q; funere merſum intelligit, ecce! mutatur rerum facies, animumq; implere luctu, faciem lacrimis rigare incipit, qui brevi antè totus poſitus in gaudio erat. Hinc adedè de vitā nos etiam noſtrā præſens locus commodū ad-

monet;

monet: Quæ quàm caduca, quàm fragilis,  
quàm parùm sui certa sit, tùm elucet potissi-  
mum, cùm floridissimis quibusque & maxi-  
mè integris ea adimitur. Nam cùm cana ca-  
pita, & longo senio inclinati viri decedunt,  
videntur illi jam confecisse spacium, esseque  
admoti ad lineam illam, ultra quam cursum  
porrigere nefas: at verò qui primâ aut adole-  
scente ætate, aut quæ jam maximè sui plena est,  
extinguuntur, multò hos quidè diutiùs vivere  
potuisse existimaveris. Quid ERNESTO aut  
ætate florentius, aut habitu corporis viridius  
fuit? Et tamen, quod paucissimi putare po-  
terant, cadaver istactus, relatusque aded in  
illorum numerum est, qui esse desierunt.  
Nempè nullam legem mors habet: cui matu-  
ram etiam est, quod vix jam natum. Non tem-  
pus ullum, non personam respicit: ac sicut  
destinata omnibus est, ita ex æquo etiam o-  
mnibus incumbit. Et profectò quidem isti  
rerum humanarum turbines, & ille fortunæ  
lulus, quem nimis pertinaciter cum plerisque  
mortalium ludir, faciunt, ut non malè cum  
iis actum videatur, qui se tempestivè subtra-  
here negociis hominum, atque exire de vitâ

istâ penitus possunt. Ut quid enim vivere diu  
expetat? Et quid habet Orbis hic com-  
modi? quid non potius laboris atque mole-  
stia? Quem admodum igitur qui in mari ver-  
santur, tùm in tuto se collocatos existimant,  
quùm portum tenent, atque è continente ter-  
rà pelagus è longinquo prospiciunt: sic ne-  
mo extra calamitatum aleam sese positum re-  
putare debet, nisi humanis rebus valedixerit  
profsus, & totum hoc vitæ nostræ mare ex illo  
respectet loco, quò nullæ unquam turbæ, æru-  
mnæ nullæ pertingere queant. Cæterùm nec  
præter rem, nec receptam consuetudinem fa-  
cturi videbimur, si tam egregii & singularis  
JUVENIS vitam breviter ab initiis repeta-  
mus. Itaq; natus est NEUSTADT, urbe Meck-  
lenburgicâ, die XVI. Mart. qui in ipsâ LÆ-  
TARE Dominicam incidebat; Horâ X. ma-  
tut. Anno dō Iō c XXXIV. Patre VIRO  
Magnifico & Amplissimo DN. JOANNE  
COTHMANNO, JCTO celeberrimo,  
Sacri Lateranensis Palatii, Aulæque Cæsareæ,  
& Imperialis Consistorii COMITE; Serenissi-  
morum Mecklenburgi Ducum Cancellario  
grayissimo, & benemerentissimo; Matre

verò

verò AGNETA Gulen / in tantum laudandâ  
quondam Fœminâ, in quantum virtus intel-  
ligi muliebris, amariq̃e sapienter poterat.  
Avum Paternum habuit THEODORICUM  
COTHMANNUM, Reip. Lemgoviensis CoS.  
Virum summum, ejus Majores Patriciâ  
Consulari q̃ue dignitate à trecentis & ampliùs  
annis conspicui florentes q̃ue fuere: Avum  
Maternum DN. BALTHASAREM Gulen/  
principem Urbis nostræ Civem, & Patricium  
clarissimum. Avia Paterna fuit AGNETA  
von der Lippen; Materna, ANNA Gröten/  
laudatissimæ & honoratissimæ Matronæ. Pro-  
avus Paternus fuit VIR Nobiliss. & Ampliss.  
DN. BERNHARDUS von der Lippe / Per-illu-  
stris ac Generosissimi Comitis de Lippen / Can-  
cellarius gravissimus; Maternus Proavus,  
VIR Amplissimus DN. BALTHASAR Gu-  
le / Reip. hujus COS. primarius. Proavia Pa-  
terna erat MARGARITA Sanders; Ma-  
terna, ANNA Kirchhofes / & antiquissimâ &  
celeberrimâ familiâ der Kirchhöfe / oriunda,  
germana maximorum Virorum & Ictorum,  
DN. LAURENTII, & DN. LAMBERTI  
der Kirchhöfe / Soror. Quod si per tot in-

gentia

gentia alia Majorum nomina, quibus utraque stirps, paterna juxta maternaque, splendorem & lucem suam debet, eundem esset, DEUS bone! quanta Historia, quanta differendi materia nasceretur! Sed nos nunc quidem isti operæ parcimus, & saltim id dicimus; NOSTRUM, quod honestissimam egregiamque mentem melior Natura tribuerat, à teneris idenixè studuisse, ut, sicut prærogativâ originis, ita virtutum etiam antecelleret alios atque præstaret. Enimverò ita reputabat; nascendi sortem, nobilitatemque generis pejus cœno collini perversis moribus, & parùm omninò splendorem natalium conferre lucis, nisi animus & vita responderint. In isto a, dum curreret stadio, etsi ipsum plurimum recta indoles, tamen multum & PARENENS quoque Nobilissimus adjuvabat, qui elegantiarum omnium studium non modò præceptis & monitis inculcabat assidue, sed ad easdem etiam suo ipsius exemplo præibat. Qua re fiebat, ut sicut in speculo vultuum, sic virtutum suarum absolutissimam imaginem in FILIO contempleretur. Ac quia omnis felicitatis nostræ fundamentum ac

basis

basis in pietate verâ, & orthodoxæ fidei cognitione positum est, idcirco non aliunde institutionis initia ducebantur. Deinde procedentibus annis literarum quoque secularium, per commodos industriosque Præceptores, adjungebatur eruditio, quod verè existimaretur, sine illarum adminiculo neminem temerè humanarum rerum prudentiam rectè quidem satis consecuturum. Quùm probè jacta in talibus fundamenta essent, missus in Academiam hanc ROSTOCHIENSEM est, ut ad majora assurgeret, & JURISPRUDENTIÆ, è quâ PARENS, & cognominis sibi Patruus ERNESTUS, cæteri quæ Majores tantam nominis famam laudemque consecuti essent, & in quam peculiari quodam naturæ instinctu ipse quoque ferebatur, operaretur. Itaque in Amplissimi & Consultissimi VIRI, DN. ALBERTI WILLEBRANDI, J. U. D. ac Codicis Prof. quin & in Serenissimorum Ducum Mecklenb. Judicio Provinciali Ecclesiastico Assessoris, Collegæ & Amici nostri conjunctissimi, domum convictumque recepto, porrecta est institutum suum prosequendi ea occasio, quâ ne optari quidem commodior poterat. Adeoque is etiam sub Affinis hujus sui moderamine,

B

priva-

privatâque fidelissimâ informatione, saluber-  
rimâ verò etiam aliquot annorum conversa-  
tione, tantum in eo, quod diximus, studio-  
rum genere, profecit, ut nihil non magnum  
de se, eximiumque promitteret. Sed ne-  
que à publicis Amplissimorum & Excellen-  
tiss. DNN. JCTORUM & Professorum  
Auditoris abfuit, eòque adhuc gnaviter ma-  
gis strenuèq; cœptum propositumque urgere  
visus est. Quùm ad annum usque 1656. in  
dicti DN. Affinis, imò cujusque boni oculis  
deliciisque vixisset, & præter JURIS scien-  
tiam, id in universum omne pertractavisset  
penitùs, quod accuratioris elegantiorisque  
literaturæ nomen mereretur, revocatus à Ma-  
gnifico DN. Parente GUSTROVIUM est, ut,  
quis jam foret Filius, quantumque ei R O-  
STOCHIUM profuisset, præsens ipse per  
exempla aut specimina cognosceret, & for-  
mare adeò exindè amplioris consilii ratio-  
nem posset. Ventum ad examen est, pul-  
chrèque adeò in eo statum, ut inventus ER-  
NESTUS sit, industriam, pecuniam, ho-  
rasque suas non malè collocavisse. Itum in  
eam sententiam, uti domi aliquamdiu substi-  
steret, & dirigendorum quoq; processuum ra-  
tio-

tionem (ad quam rem nemo mortalium ma-  
jus, quam ipse PARENS; & non leve et-  
iam Affinium alter DN. LAURENTIUS  
SCHRÖDERUS, J. U. D. Judicii que  
Provincialis Advocatus, & Practicus claris-  
simus, conferre ei momentum poterant.)  
paullatim addisceret. Non tenuit NOSTER  
ea cōsilia, quæ superioribus placebant, facilèq;  
ex usu suo futura existimare poterat. Cuniq;  
adeò insignem hac quoque in parte satis sese  
præstitisset, non retentus diutiùs in patriâ,  
sed circa ipsa superioris Anni MICHAELIS  
solennia LIPSIAM missus est, non ut ibi  
subsisteret, sed ut post lustratam saltim,  
aut per mensem unum alterumvè cultam,  
inclutam GIESSENSIUM Academiam  
adiret, & JURIS ibidem studia sua sic perse-  
queretur, ut finem tandem imponeret. Venit  
Mense Novembri cum in locum, Hospitemq;  
nactus est VIRUM Amplissimum & Con-  
sultissimum DN. GREGORIUM TüL-  
SENERUM, J. U. D. P. P. & Consiliari-  
um Hassiacum excellentissimum, maximè  
idoneum illum visum, cujus operâ pro exe-  
quendâ istâ, quam diximus, fini, inter ali-  
os uteretur. Et jam admoveere manum

B 2

operi



operi instituerat, remq; suam impigerrimè  
agere: quùm ecce! ex Variolis (qui idem jam  
ante VIII. annos Fratrem quoq; JOHANNEM  
ALBERTUM extinxerant) malè habere,  
& XXV. Januarii decumbere prorsus cœpit.  
Sanè quidem ut è morbo explicaretur, non  
omninò nulla spes erat; adeò ire in melius res  
valetudinis nonnunquam videbatur. Sed  
mutata tamen Ægri, nemine opinante,  
conditio, malumq; incumbere eà tandem  
visum vehementià est, ut quicquid & magnis  
sumptibus, & summo præstantissimorum  
Medicorum studio, quin & Amplissimi DN.  
Hospitis perpetuà & nunquam satis laudatâ  
vigilantiâ, pararetur contra, nullum tamen  
exitum haberet, & vis morbi omni humanâ  
ope potentior foret. Ex quo cùm intellige-  
ret facilè, de se quid esset futurum, ante o-  
mnia navandam sibi operam censuit, uti cum  
Deo penitèns reconciliaretur. A quo solo cùm,  
quicquid sibi sperandum haberet felicitatis,  
manare probè nosset, rectè cavendum statu-  
it, ne eo sibi irato adversoq; uteretur. Proin  
Ministram verbi accersivit, coram quo post-  
quàm maximâ animi devotione, seriâq; pœ-

nitent-

nitentiã, confessus errores suos esset, Sacro  
sancto Viatico DOMINI animam procura-  
vit, paratus sequi, quodocunq̃ abeundum  
sibi à statione foret. Quod & insegu-  
tum tandem est, dum IV. Febr. inter tot  
suspiria, rot inter meditationes precesq̃  
placidissimo mortis genere resolveretur.  
Quem quidem JUVENIS clarissimi casum  
cũ paulò altiùs cum animo nostro repu-  
tamus, verissimã certè contemplatione  
humanæ vitæ ingenium deprehendisse nobis  
videntur, qui navigationis habere *instar* asse-  
runt. Solet hoc navigantibus non rarò ac-  
cidere, ut vel in medio tranquillo aliquis  
turbo suboritur repente, ac deprehendat  
navem, nec rãm concutiat quassetq̃, quàm  
planè demergat, nequicquam contra niten-  
tibus nautis, & vastam hyemem evertere co-  
natis: cum incumbentis, ut sic loquamur, fati  
necessitas plus valeat, quàm omnis laboran-  
tium industria atque contentio. Gemina  
certè & paria prorsus in vitã sæpiùs expetunt;  
& frequentissimè contingit, ut, cum vale-  
mus maximè, cum lateri pedibusq̃ quàm  
optimè est, subitanei mali vis ingruat, & simul

medentium opem ac curam, simul nosmet-  
ipfos elidat atque evertat. Coeterum cum  
FUNCTO satis quidem præclare actum est:  
sed quid de PARENTE mœstissimo  
dicemus tandem? Cujus non unâ  
clade affecta hæc domus est. Scilicet  
solet fermè humanas res ita moderari DEUS,  
ut calamitates citiùs in optimi cujusque do-  
mum, quàm cujusvis alterius commigrent,  
ac pios fermè sanctosque maximè homines  
miseriæ ac infortunia exerceant: tum quia  
id gratum ipsi est, tum quia expedit, quibus  
illorum usus venit. Sapiunt namque inter  
adversa animi, & frugi sunt, qui insolescere se-  
cundis, & luxuriare plerumque solent. Hoc  
igitur patientiùs CANCELLARIE magne,  
FILII obitum feres; illius, inquam FILII,  
qui, si concessa vita fuisset, & tuas & Fratris  
tui ERNESTI, VIRI incomparabilis, Ma-  
jorumq; omnium virtutes & gloriam æmu-  
mularurus, imò expressurus ad vivum erat:  
cogitabis conditionem communem ac legem,  
quâ tantum olim thesaurum acceperis; per-  
pendes vitæ humanæ naturam, & istam tem-  
porû faciem, quib9 haud temerè durius quie-  
quam

quam inveneris. Propones animo, ad quænam gaudia, ad quantas felicitates adspirârjit ille: quæ ut nihil comûne cum sorte nostrâ habent, ita extra finem omnem & terminum positæ sunt, & planè æternæ. Tantùm itaq; abest, ut perdidideris Filium, (quâ voce in simili casu ad Polybium Seneca utitur) ut potiùs lucratus sis, eòq; præmiseris saltim, quò ipse etiam suo tempore subsequere. Tantisper igitur, DOMINE, dum brevi iterum conveneritis, istâ FILII familiaritate & conversatione æquo carere animo oportebit. Et carendum cæteroquin erat, etiamsi vixissets quousque ipsum amor sapientiæ & literarum apud exteros morari compulisset; atque eò quidem deteriore conditione, quòd an benè absens haberet, an extra pericula esset, scire tùm non potuisses; qui modò quod extra fortunæ aleã, extra teli jactum constitutus, placidissimè & felicissimè degat, certissimuses: Quin nec de eo incertus prorsus, quòd pro Te tuisq;, quos etiam nû peregrinari, & pro incolumitate vestrà, quam inter has mundi procellas periclitari novit, preces fundat, & eò quidem efficaciores, quò purior est mente, & propiùs ad

DEUM

DEUM accessit. Quod igitur Elyfio Terinao  
fallace oraculi voce responsum ajunt, id tibi  
divinâ & fallere nesciâ dici persuasum habe:

*Sic fuit utilius finire ipsiq, tibiq.*

Ad nos quod attinet, ERNESTO tuo, quum  
corporibus pedibusvè, tanquam extra nos  
humando, non possumus, saltim animis affe-  
ctuque ituri sumus exequias, & nunquam  
tam chari capitis memoriam obliterari  
apud nos patiemur.


P. P. DIE XXII MARTII,

ANNO recuperatæ gratiæ  
clo lo c LIX.

Sub Sigillo Rectoratus.













quam inveneris. Propones autem  
nam gaudia, ad quantas felicitate  
ille: quæ ut nihil commune cum so-  
bent, ita extra finem omnem & re-  
fitæ sunt, & planè æternæ. Tantum  
ut perdidit Filium, (quæ voce  
ad Polybium Seneca utitur) ut po-  
sis, eò quæ; præmiseris saltem, quò  
tempore subsequere. Tantisper  
MINE, dum brevi iterum com-  
FILII familiaritate & conversati-  
rere animo oportebit. Et car-  
roquin erat, etiamsi vixisset  
ipsum amor sapientiæ & licet  
exteros morari compulisset;  
dem deteriore conditione, quò  
sens haberet, an extra pericula est  
non potuisses; qui modò quod  
alea, extra teli jactum constituit  
mè & felicissimè degat, certissimè  
nec de eo incertus prorsus, quò  
quos etiam nū peregrinari, & pro-  
te vestrâ, quam inter has mundi  
riclitari novit, preces fundat, & e-  
ficaciores, quò purior est mente,

